



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Sanderi Presbyteri, S. Th. Licentiati Hagiologivm
Flandriae Sive De Sanctis eius Prouinciae Liber vnus**

Sanderus, Antoine

Antverpiae, 1625

Landrada. Gandai.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10172

subscriptis nominibus, S. Maximus, S. Ilerius. Natalem diem Canonici ignorant.

LANDOALDVS.

Gandavi.

FVit Romanæ Ecclesiæ Archipresbyter, & ideò è vul- *19. Mar.*
gari iudicio vti S. Hieronymus pingitur vt Cardina-
lis. Eum ex vrbe sanctus Amandus in Gallias secum ad-
duxit, xiv. Kal. Aprilis anno 646. obdormiuit, & in Win-
tershouen, prædio sibi ab Apro Comite sancti Lamberti
patre, olim collato, sepelitur in Basilica à se ædificata, at-
que in honorem sancti Petri dedicata. Ita Chronicon
Gandense. Landoaldus autem Gandam aduectus est per
Womarum Abbatem anno 980. Plura vide apud Mola-
num de egregiis viri factis, & in officiis Sanctorum Eccle-
siæ Gandauensis.

LANDRADA.

Gandavi.

SANCTA Landrada virgo beato Lamberto Episcopo *8. Iulij.*
Leodicensi post martyri familiarissima, beato item
Willibrordo Episcopo deditissima, Cœnobium sacrarum
Virginum propriis sumptibus & patrimonio in saltu
Beyla construxit temporibus Pipini & Carolomanni eâ-
dem inter reliquas Christi Virgines sanctam Amelber-
gam præclaræ nobilitatis & sanctitatis Virginem dignis
moribus informauit. Cæterum sanctæ Landradæ cor-
pus vnâ cum sancti Landoaldi sociorumque corporibus
ex villa Wintershouen ad beati Bauonis Gandense Mo-

R

naste-

nasterium anno 980. translatum est. Ita Chronicon Gandense, habes apud Molanum, Miræum, & in officio Dionorum Ecclesiæ eiusdem.

L E V I N V S E P I S C O P V S

ET MARTYR

Gandauenſium Patronus.

12. Nou. **L**EVINVS in Scotia (forſan Hiberna, quæ olim Scotia maior, ad discrimen illius quæ nunc Scotia minor & Hiberniæ olim pars) nobili genere natus, admodum adhuc puer non modo ſupra ætatem eximiâ pietate conſpicuus, verum etiam miraculis clarus fuit: adultæ autem ætatis factus, præceptoribus uſus eſt, primùm egregio Dei Sacerdote Benigno, deinde ſuſceptore ſuo è ſacro fonte, magno illo Auguſtino Anglorum primo Epifcopo, à quo tandem ſacro etiam Sacerdotij ordine decoratus, tantâ cum laude eo in ſtatu verſatus eſt, vt eum Scoti haud multo poſt in Archiepiſcopum ſuum elegerint, quod munus tamen Rege populoque compellente ſuſceperit, & magno cum fructu per annos aliquot ſuſtentauit: poſteâ tamen maluit infidelibus ad Chriſtum conuertendis operam dare (ad quam rem mirâ Spiritus ſancti gratiâ præditus erat) quam in Epifcopatu ſuo vni tantum Prouinciæ quietius & minori cum labore præeſſe. Itaque relicto in Scotia loco ſuo magnæ ſanctitatis & virtutis Syluano Archidiacono, ipſe Euangelij plantandi cauſſâ tribus cum diſcipulis Foliano, Helia, & Kiliano Oceano traiecto deuenit in Flandriam, & ingreſſus Coenobium Gandenſe à beato Amando Epifcopo tunc recens exſtructum humaniter à Florberto Abate